

est principatus eorum.¹ Et idcirco ille littere tantum me terruerunt, ut nulla ratione anima mea quiescere posset, nisi ego ipse tantillus^a ad vos venirem et argumenta falsitatis tenoremque veritatis vobis presens intimarem. Etenim in omni terra nesciebam personam, ante quam potuissem enucliare casus meos, nisi Romanum pontificem, Christi vicarium, successorem Petri et omnium ecclesiarum patronum. Nam si considerans meam imbecillitatem ad presentem curiam non venissem, appetitor nostri loci contemptorem me fortassis finisset et vinculum excommunicationis in me inici elaborasset.^b Tunc dominus papa ait: Ecce quamvis supra vires laboraveris, quamvis contra votum tuum res tuas expenderis, multum bene fecisti, quod ecclesiam Romanam expetisti. Ideo et nostram habebis gratiam et tuam causam invenies prosperam, quoniam non titubando, sed docte progrediendo rationabiliter gestorum aperuisti nobis veritatem et in tuis verbis nullam ostendisti ambiguitatem. Amodo tam securus quiesce, et volumus, ut deinceps nemo te compellat Romam venire. Abbas ait: Honorande pater, quoniam quidem misericordia vestra magna est super me², opto, ut eandem, in qua ordinatus sum, mihi et successoribus meis confirmetis libertatem, ut locus noster, qui modo premitur iniuste, vestro privilegio munitus amplius non valeat vacillare. Papa dixit: Duo sunt que nobis et tibi resistunt, quod ecclesia tibi commissa presenti calumpnia premitur et tui episcopi peticio non habetur. Tue vero libertati simul et tui loci libenter assentimus, et necesse est, ut sic tuam causam componamus, qualiter et tu pace nostra gaudeas et instans adversarius locum iuste querele invenire nequeat. Unde opus est, ut te remoto consilium cum patribus nostris ineuntes ordinemus et tuam quietudinem et nostram defensionem. Et quia tibi nimium compatimur, id properanter expediemus. Hiis ita peroratis discessum est.

Die sequenti iussit dominus papa vocari abbatem et iussit cancellario, ut abbati nunciaret consilium quod inventum esset. Dixitque cancellarius abbati: Domine frater, noster dominus apostolicus cum tota curia sollicitatur pro vobis et pro vestra causa. Si vultis acquiescere, ita est ordinatum, ut salvo per omnia statu vestro eligantur tres religiose persone de terra Francorum, quibus

^a) *tancillus*.

^b) *elaborasset*.

¹) Ps. 138, 17.

²) Ps. 85, 13.